DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
VARIOLIS

Quam

Divino fretus auxilio

EX DECRETO ET AUCTORITATE

Magnifici & Gratiosissimi

Collegii Medici

In Celeberrima & Perantiqua

RAURACORUM ACADEMIA

PRO

SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

ritè impetrandis


Publico Examini subjicit

THEODORUS BOXBART

Ulmensis.

Ad diem 4. Iunij. Anni 1675.

Loco Horisque solitis.



BASILEÆ, Typis JACOBI WERENFELSII.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, maximè Strenuis, Amplißimis, Prudentißimis

DN. DN. DUUM-VIRIS
DN. DN. DN. CONSULIBUS

TOTIQUE SENATUI INCLYTÆ IMPERIALIS URBIS

ULMENSIS

PATRIBUS PATRIÆ DN. SUIS omni obſervantiæ cultu proſequendis

Hanc ſuam inauguralem Diſſertationem in ſui & ſuorum ſtudiorum promotionem ſubmiße offert

THEODORUS BOXBART
Ulm.



DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE VARIOLIS.

PROEMIUM.

SUi ſunt cuilibet ætati morbi. Aliis ætatibus miſsis, qui in puerilem incidunt: Aphthæ ſunt, vomitiones, tuſſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium ſordes humidæ. Hipp. 3. Aphor. 24. Item cum pueri dentire cœperunt, gingivarum moleſti pruritus, febres, convulſiones, diarrhœæ. 3. Aph. 25: Et cum ætate proceſſerunt, tonſillæ, nec non vertebræ ad occiput intro luxationes, aſthmata, veſicæ calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi, ſtranguriæ, ſtrumæ, & alia tubercula. 3. Aph. 26: præcipuè Ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσαι, *h. e. plurimæ puſtulæ ulceroſæ, purulentæqúe, quo nomine Variolæ comprehenduntur, & intelliguntur, de quibus quoniam maximi ſunt momenti, & per anni ſpatium longè latèquè vagantur, Diſputatiunculam inauguralem, pro modulo ingenii & viribus, conceſſa à* Magnifico & Gratioſiſsimo Collegio Medico *Facultate conſcribere & defendere placuit.* Jehova juvet conatus.

THESIS I.

UT autem certâ methodo & ordine conveniente procedam, quo in pertractandis rebus nihil pulchrius, nihil delectabilius esse dixit Xenophon, divido totam Disputationem in θεωρίαν, καὶ πρᾶξιν: θεωρία continebit Nomen, Definitionem, Differentias, Subjectum, Causas, & Signa; πρᾶξις Indicationes & Auxilia.

II.

Primò de Nomine, ut janua omnis Cognitionis: Variolæ nominis sui originem traxerunt, vel à varis, cum quibus aliquam similitudinem habent, quasi diceres parvi vari; vel à variando, quòd Corporis superficiem varient, & rubram, albam, inæqualem, asperam, & turpem reddant. Appellantur Græcè Ἐξανθήματα, h.e. efflorescentiæ, & Ἐκθύματα, eruptiones per Metaphoram à floribus sumptam, quia sponte erumpunt, & in cute efflorescunt sicut flores in superficie terræ: item Ἐκφύματα ab enascendo, vel pullulando ob eandem rationem. Plinio & aliis Pustulæ Papulæ & Tubercula nuncupantur: Arabibus Bothor: Rhasi Pestis, quòd instar pestis suo tempore sævirent: Interpretibus Avicennæ elevatæ Apparitiones, ad discrimen macularum, quibus Cutis infici solet, Germanicè die Blatern/Kinds-blatern/die Bocken/Urschlechten/Purpulen.

III.

Nomen rectè excipit Definitio, quæ rei Essentiam, & Naturam explicat: Variolas Clariss. D.D. Melchior Sebizius in Disputat. de Variolis & Morbillis tertiâ respondente Joh. Jacobo Wepfero, definit in hunc modum: VARIOLÆ *sunt pustulæ calidæ, humidæ ex ebulliente in vasis sanguine, qui inde à facultate expultrice veluti per κρίσεως quendam motum ad cutem protrusus est genitæ, ut sanguis malus à bono segregetur*. Clariss. Senertus lib. de Febribus cap. 12. hoc modo: VARIOLÆ *sunt pustulæ in summa cute, partibusquè cuti respondentibus, cum febre continuâ erumpentes propter peculiarem sanguinis effervescentiam à facultate expultrice excitatæ*. Utrique harum Definitionum sua debetur laus. Cui neutra placet, tertiam do: VARIOLÆ sunt pustulæ ulcerosæ, purulentæquè spontè in superficie corporis puerorum cum febre efflorescentes.

IV. Ge-

IV.

Generis quidem loco posui pustulas, interim VARIOLÆ sunt complexus omnium morborũ. 1. Intemperiei. Febricitant enim pueri ante & post variolarum eruptionem. Prior febris est continua primaria. Posterior symptomatica à suppuratione pendens. 2. Malæ compositionis in Magnitudine, Numero, Conformatione, Situ & Consensu. In Magnitudine, nam tument & tumefaciunt. Numero, quia numerosæ, abundant, quæ naturaliter adesse non deberent. Conformatione, quandoquidem Figuram vitiant, obstruunt meatus, & superficiem exasperant. Situ & consensu, quando partes in Variolis situm mutant & coalescunt, ut palpebræ, digiti. 3. Solutionis continui, quatenus ulcerant, perforant, & epidermidem à subjecta cute separant.

V.

Quinimo causæ fiunt omnium malorum, actionum læsarum, excrementorum ἀμετρίας, & qualitatum corporis præter naturam mutatarum. Sunt morbus magnus, acutus, aliâs sporadicus, nunc per annum epidemius, malignus, pestilens, contagiosus, fœdissimus, quo ante semi annum hîc Basileæ propè Ciconiam Puella quædam bonæ indolis miserè conflictabatur per integrum mensem: Tanta fuit fœditas, & malignitas, ut cutis universa in squammas fœtidas & crustas ingentes (ex quibus levi tactu sanguis ater effluxit) tenacissimè hærentes solveretur: Corpus omne non aliter contabesceret, & macie nigroreque maximo cum fœtore torreretur, quàm si menses quatuor è furca pependisset, donec tandem duobus diebus ante obitum subitò oculis corrosis, & humoribus effusis occœcata esset. Humorem crystallinum elapsum ostendit mihi Præclariss. D. D. ROTH Professor Anat. & Botan. Præceptor ac Hospes meus Honoratissimus.

VI.

Sequuntur Differentiæ. VARIOLÆ non sunt omnes ejusdem conditionis & farinæ. Aliæ sunt veræ: nothæ aliæ. Veræ præviâ perturbatione critica die tertio vel quarto forâs prosiliunt: incipiunt à puncto rubro, & sensim elevantur, & augentur, tandem suppurantur, & exiccantur, & crustâ separatâ

ſanantur. Nothæ lupini magnitudinem habent, & inſtar cryſtalli ſplendent, unde etiam cryſtalli nominantur, è quibus aquoſitas manat, vulgò vocantur die wilde Kinds-blatern.

VII.

Ratione qualitatum, coloris quidem rubræ ſunt, flavæ, albæ, violaceæ, virides, lividæ, nigræve pro varietate humorum ſive ſincerorum, ſive miſtorum & vario uſtionis gradu. Hoc anno albæ viſæ ſunt puncto nigro in medio notatæ, & quæ intermiſtas maculas violaceas habuerunt ad ſalutem terminatæ. Odoris autem, magis vel minùs fœtentes.

VIII.

A' quantitate, & figura copioſæ ſunt, vel paucæ, magnæ, vel parvæ, ſuperficiales & depreſſæ, quales his temporibus plerumquè fuerunt, vel elevatæ & rotundæ, ſeparatæ vel continuæ.

IX.

Habito reſpectu ad morem, obſervamus eſse benignas vel malignas, quarum illæ ſalubres ſunt, hæ periculoſæ & lethales: mites quoque vel acres & erodentes, quæ dolorificæ ſunt, & pruriunt cum rubore ſplendente.

X.

Porrò ſi tempus ſpectamus, quędam citò & ſubitò apparent: aliæ tardè & ſegniter erumpunt: aliæ paulatim oriuntur, confertim aliæ: nonnunquam retrocedunt, ſuborta diarrhœa materia aliò translata: in aliquibus diu durant, & tardè ſiccantur; in aliis verò ocyùs reſolvuntur atquè ſanantur pro ratione materiæ, & virium, &c.

XI.

A' Differentiis me confero ad ſubjectum, h. e. ad ſedem affectam, quæ eſt cutis corporis (κριτήριον temperamentorum, & ſenſorium tactus) quam natura poroſam efformavit propter excrementorum & ſuperfluitatum expulſionem & corporis repurgationem. Occupant extrema maximè, faciem ſcilicet & artus naturæ robore expulſæ: *quamvis quidam* referente Clariſs. Fernel. lib. 2. cap. 12. de abditis rerum cauſis *diſſecti ſint, quibus jecur, lien, pulmones, omniaquè interiora non ſecus atquè cutis ſordidiſſimis papulis manantibus ſcaterent.*

XII. Par-

XII.

Parti affectæ commodè ſubjunguntur Cauſæ: Cauſæ ſunt externæ vel internæ. Externæ VARIOLARUM in genere ſunt omnes illæ, quæ ſanguinem crudum & vitioſum gignunt, quæ putredini occaſionem præbent, & ebullitionem ſive fermentationem conciliant: In ſpecie tres ſunt præprimis notabiles. 1. Aër calidus, humidus, qualis eſt vernalis potiùs quàm autumnalis, auſtrinus, pluvioſus vel quacunquè ex cauſa venenatus, & malignus, vel inæqualis, qui ſubitas patitur mutationes. Quare Magnus Hipp. ſapienter ſcripſit. 3. Aph. 1. Mutationes defectionesquè temporum, & inſignes mutationes frigoris aut æſtus, quæ in ſingula incidunt anni tempora maximè parere morbos, &. 3. Aph. 16. Ab aſsiduis imbribus fieri putredines. 2. Victus pravus, hinc cruditates, & putredines iterum naſcuntur, ex quibus febres & variolæ in pueris nondum defœcatis reſultant. 3. Contagium, quod contemnendum non eſt. Exit enim ex infecto corpore præſertim graviter olente, cujusmodi ſunt corpora puerorum variolis afflictorum, inquinamentum & ſeminarium quoddam, quod cum aëre hauſtum à corpore analogo ſimilem humorum agitationem, & ebullitionem efficit.

XIII.

Internæ plures ſunt: Impuritates in utero collectæ, & extrà uterum propter ingluviem puerorum, & voracitatem auctæ, quæ tamdiu ſopitæ deliteſcunt, donec à causâ aliquâ privata vel communi, ut anomalia temporum & tempeſtatum, commotæ in putredinem agantur: Harum impuritatum, ſordiumquè putredo, & efferveſcentia: Atquè etiam propria puerorum diſpoſitio calida, humida jam per ſe ad putredinem proclivis. Hæ cauſæ ſunt, & non aliæ propter quas HOMO variolis obnoxius: obnoxius cum puer eſt. Quòd autem populariter errent adſcribendum internæ puerorum impuritati, & externæ anomaliæ ſimul. Sed ut cauſas abſolvam, interna proxima & immediata, ſunt eædem ſordes conceptâ putredine & fermentatione à naturâ ad ambitum corporis protruſæ.

XIV.

Poſſum commodè has ſordes ichores ſanguinis appellare,

qui prout eſt pituitoſus, bilioſus, melancholicus, &c. ita variolas purpureas, albas, violaceas, nigras, &c. efficit. Quò autem iſti ichores ſunt blandiores vel acriores, eò quoquè mitiores vel mordaciores, & magis corrodentes proferunt variolas.

XV.

Reſtant ſigna, quæ nos ducunt in abditarum rerum cognitionem, ſine quâ Medicus Andabatarum more pugnat. Signa ſunt duplicia Diagnoſtica, & Prognoſtica: Diagnoſtica triplicia ſunt: Morbi, cauſæ & partis affectæ. Signis opus non eſt ad cognitionem partis affectæ, ut quæ eſt cutis corporis externa, niſi cum etiam interiora afficiuntur, tum quælibet pars interna ſui affectus prodet ſigna, ut pulmo difficilem reſpirationem, & dolorificam, anguſtiam pectoris, tuſsim, raucedinem, & febrem graviorem: Signa cauſarum quod attinet, utrum ſint ex ſanguine, bile, pituita, &c. ex humoribus ſinceris, vel miſtis magis minusvè aduſtis, putridis, corroſivis: ex colore, calore, dolore, aliisquè circumſtantiis, prudens quilibet facilè diſtinguet.

XVI.

Signa morbi ſunt ſigna Febris, & Variolarum: ſigna Febris alia non ſunt quàm quæ continuam indicant. Signa Variolarum imminentium (Nam præſentes oculis patent, & à Mulierculis promptè diſtinguuntur) æquivoca ſunt, & communia cum Morbillis, ſuntquè ſequentia recenſente Clariſs. Sennerto citato loco: *Ubi autem imminent Variolæ & Morbilli, adſunt dolor capitis, oculorum, gutturis, narium pruritus, ſternutatio, terror in ſomno, paroxyſmi epilepticis ſimiles, dolor dorſi, ardor & punctionis ſenſus in Cute, difficultas ſpirandi, tuſſis ſicca, tremor pedum, oſcitatio, pandiculatio, cordis palpitatio. Quæ læſæ actiones accidunt ex ſanguinis ebullitione ac fuliginibus inde per totum corpus diſperſis. Urina ſanorum urinæ ſæpè non eſt diſſimilis, materia vitioſa ad ambitum corporis protruſa: interdum etiam turbida ob magnam humorum ebullitionem. Hæmorrhagia narium eſt frequens, lachrymæ ſpontè ex oculis ſolent erumpere, aut oculi lachrymabundi apparent: Vomitus quoquè interdùm accidere ſolet. Facies ac oculi rubent; Cutis eſt aſpera, Vox rauca. Tandemquè etiam Febris ex humorum ebullitione accenditur. Hæc ergo ſigna pleraquè ſi adſunt, & circa tertium vel quartum diem*

augen-

augentur, ac maculæ quædam rubentes in cute apparent imminentium Variolarum vel Morbillorum indicium est. Augeturquè hæc suspicio, si Variolæ vel Morbilli publicè grassantur. Ergo si Variolæ non Morbilli publicè grassantur, si puer Variolis nondum laboravit, hæc signa Variolas puero imminere & nocere indicant, maximè cum paulò post maculæ illæ in altum attolluntur, & posteà in pustulas albas pure repletas mutantur.

XVII.

Differentiæ Variolarum sensibus obviæ sunt. Itaquè signis iterum non est opus. Quòd autem sint epidemiæ, & pestilentes cognoscitur ex prægressâ inæqualitate temporis & tempestatis, ex multitudine Ægrorum, vehementia symptomatum & multorum interitu.

XVIII.

Satis de Diagnosticis. Prognostica sunt de Tempore, & de Eventu. Tempus quod concernit terminantur Variolæ diebus 14. Oriuntur tertio vel quarto. Augmentum ad septimum protrahitur. Status undecimo viget. Inde ad 14. est Declinatio, quamvis exiccatio ad 20. nonnunquam extendatur. Senn. citato loco.

XIX.

Eventus ita habet: salus speratur si citò erumpunt, citòquè maturantur; si multæ, magnæ, eminentes, rotundæ, albæ, molles, & separatæ sunt; si post ortum febris cum symptomatibus remisit, & anhelitus facilitas adest; si largior hæmorrhagia præcessit. E contra periculosæ, vel planè exitiales futuræ sunt, quæ non erumpunt, quæ subsidentes retrocedunt, quæ violaceæ, virides, lividæ, nigræ apparent, præsertim cum febris non cessat, symptomata non mitescunt, & interea vires labascunt. Lethale signum est crusta nigra circa os in augmento: lethalis est alvi fluxus.

XX.

Finita qualitercunquè Theoria, venio ad Praxim sive Curam, quam paucis absolvam, consistit tota in Indicationibus, & Auxiliis. Indicationes sunt totius Curationis Anima. In fœdo hoc malo plures sunt, à Causâ, morbo, symptomatibus, & viribus sumendæ. Ratione Causæ quid agendum? Viti-

osi humores evacuandi sunt, corrigendi, expellendi à centro ad corporis peripheriam, sicquè naturæ conatus est adjuvandus: Ratione Morbi Variolarum nempe maturandum, siccandum, mundificandum, lævigandum; febri tamen non neglectâ, quæ refrigerationem, & humectationem requirit: Ratione symptomatum agendum, & medendum pro re nata: Ratione virium conservandum corroborandumquè.

XXI.

His Indicationibus annecto aliam magni momenti: Totum negotium naturæ committendum, & nihil agendum esse, nisi quod posteà in Diæta præcipietur. Variolæ enim motu critico extruduntur, quem cum natura benevalens rectè peragit, sinenda est, & non interturbanda & impedienda, quod seriò nobis inculcavit Hipp. 1. Aph. 20. *quæ judicantur perfectè, quæquè judicata sunt exquisitè, nullo modo movenda, nequè novanda; nequè medicamentis purgantibus, nequè aliis irritamentis, sed missa facienda.*

XXII.

Indicationibus elicitis & determinatis, proximum nunc est, ut accedam ad auxilia, quibus iis satisfacere possumus. Depromuntur ex Penu triplici Diæta, Chirurgia & Pharmacia. Diætam quod concernit, Æger habendus est in aëre tepido & obscuro, frigus ambientis omni studio arcendum. Alioqui Variolæ aut non erumpent, aut ortæ retrocedent. Deinde ab initio tenuiter nutriendus cibis boni succi, facilis coctionis moderatè refrigerantibus, ut ovis recentibus sorbilibus, jusculis, cremore hordei, pomis coctis, &c. Postea Variolis arescentibus plenius ad corporis & virium instaurationem. Toto tempore à vino abstinendum, & in locum Decoctum C. C. rasp, vel hordei, vel rad. tormentill. & acetos. propinandum. Videndum probè ne nimis vel avidè, vel frigidè bibat. Quæritur utrum lentes posſint convenire? Affir. sed admistis idoneis, quæ vim tenuantem habent. Cœteræ res non naturales ita regendæ sunt, ut excrementa non diutius subsistant, ut plus dormiat parvus, quàm vigilet, ut animo & corpore quiescat in lectulo suo superimposito panno rubro ad motum humorum ad exteriora promovendum.

XXIII. Ex

XXIII.

Ex Chirurgia tria ſuadentur. Venæſectio, Cucurbitulæ, & Perforatio. Quantum ad primum præſidium reſpondeo ex Mercurial. de morbis puerorum cap. 2: *Dicunt omnes convenire ſanguinis miſſionem in hâc curatione, & certè ſi reſpicimus ebullitionem, ſi plenitudinem corporis, quæ plerumquè ſolet hos morbos comitari procul dubio indicationem habebimus mittendi ſanguinis, quare niſi aliquid obſtiterit vel Ætas, vel aliud quid, ego quoquè ſuadeo, ut is omnino mittatur.* Hucuſquè Mercurialis. Sed mox in principio ante eruptionem, ut natura oneris parte levatâ reliqua facilius expellat. Cucurbitulas lumbis, natibus, poplitibus applicandas ad materiam proliciendam inſuperficiem, etiam non contemno. Sed Perforationem, quæ acu aureâ perfici debet, quo tempore Variolæ dealbatæ ſunt, præterquam quòd moleſta ſit, ſupervacaneam habeo. Malim majores forfice aperiri, & linteo mundari.

XXIV.

Pharmacia multa ſuggerit auxilia ad evacuationem, correctionem, expulſionem, mitigationem ſymptomatum, & defenſionem corroborationemquè virium apta. 1. Clyſteres ex lacte, vitello ovi, & ſacch, & Purgantia quæ impedimenta ex primâ regione removeant, quæ naturam in propellendo turbare poſſunt, vel reliquias tollant. Illa ab initio, hæc in ſtatu convaleſcentiæ locum habent. Sint autem lenia, quæ ſimul fervorem reſtinguant, & partes internas roborent ex ſyr. roſ. s. s. vel comp. ſyr de Cich. cum Rhab. & ſimilibus: 2. Sudorifera ex temperatiore, vel frigidiore materia, quæ ad anteriora pellunt, & eâdem operâ febri & malignitati reſiſtunt e. g. ℞. Aq. acetoſ. ſcabioſ. fumariæ. ſyr. citri an. ℥jß. C. C. in alembico præparati ℈j. detur duabus, aut tribus vicibus horâ ſomni & manè, vel ℞. Pulv. rubei pannonic. ℈j vel Lap. Bezoard: or. gr. v. vel vj. plus minus pro ratione ætatis: dentur aut cum ſimili julepo, aut in juſculo, aut decocto C. C. vel utere ſem. napi, carduib. aquileg. citri in Emulſionibus, vel pulvere ex Coralliis rubris & Margaritis præparatis æqualiter miſtis. 3. Becchica ad expectorationem, & faciliorem reſpirationem v. gr. ℞ ſyr. pap. rhœad. violar. jujub. aq. ſcabioſ. an. ℥ß. 4. quæ anginæ

occur-

occurrunt, ut aq. vel decoctum plantag. rosar. balaust. prunell. cum syr. granat. acid. 5. quæ alvifluxum prohibent, ut aq. plantag. cum syr. cydonior. & bolo armena, terra sigillata &c. & decoctum rad. tormentill. quod valde probo: aliisquè symptomatibus oculorum, aurium, narium, &c. consulunt, cujusmodi sunt oculorum discutientia, ut aq. florum sambuci, forma fotus, anodyna ut lac muliebre: detergentia ut Tuti apræparata. De repellentibus nihil audiam. Narium ad meliorem respirationem & refrigerationem partium nobilium suppositoria ex butyro recenti indenda &c. 6. Cordialia ut aq. cardiac. offic. mistam cum aq. acetos. & scabios. ad conservationem virium.

XXV.

Maturatio, exiccatio, lævigatio Opera sunt Naturæ magis quàm Artis: licebit tamen majores in facie, ut citiùs maturentur, exiccentur, crustæquè separentur, & minùs exedant, ol. blandis, amygd. d. oliv. nucum, pinguedine humana, &c. illinire, & ad lævigandum h. e. ad cicatrices, & maculas delendas & foveas explendas, cosmetica usurpare, quæ in materiâ medicâ, & apud practicos prostant, illa maximè quæ simul colorem reddunt, qualis est hic cremor Mercurialis citato loco: ℞. Lupinor. fabar. hordei an. pjß contundantur crasso modo, & in qs. aq. f. bulliant usquequò perveniat aq. ad crassitiem veluti pultis, ad ablutionem faciei & manuum: Et hoc linimentum ejusdem, quod recipit Ol. oliv. dulciss. succum limonum, lytharg. lotum, cineres testudinum combustarum, pulv. rad. cannæ, & pingued. gallinæ, vesperi inungendum, & manè decocto lupinorum abluendum.

Deo sit Laus, Honor & Gloria
in sempiterna secula,
Amen.

F I N I S.